



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

II. D. Lvllvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

gantibus ipsis Scriptoribus Heterodoxis, è quibus vid. *Hübnerus*,
Lexicon Lipsiense. &c.

II. D. LVLLVS.

D. Lullus inter populares D. Bonifacij in Britannia natus, antecessorem suum vel sanguinis propinquitate, vel certè morum, studiorum & religionis affinitate contingebat. Conjunctio profectò animorum tanta inter utrumque fuit, ut eadem successorem ad imitationem antecessoris potentissimè pertraxerit. Lullus namque ut Bonifacij Germanorum Apostoli audiret verba & sequeretur exempla amplius, in Germaniam venit eo secundissimo rerum eventu, ut Bonifacius ipse ad Frisones Orthodoxo dogmate in dies magis instruendos, toto pectore incumbens, abdicata omni dignitate neminem Lullo idoneum magis judicaverit, ut sibi succederet: cuius sententiæ pariter fuerunt Stephanus III. Rom. Pont. & Pipinus Rex, commoti facilè multis viri præstantissimi meritis, præsertim postquam pervenit Romam inter Concilij Romani Patres maximi æstimatus. Permagni faciendum esse existimavit etiam Wittekindus Saxonum Rex & Dux M. ab Archipræsule Lullo dogmate Romano instructus, & Baptismatis salutari aqua ablutus. Annis 32. partim servandæ, partim plantandæ consecravit Ecclesiæ Moguntinæ, in qua extractis ædibus sacris, et cœnobiis compluribus, singularis zeli, vigilantia, prudentia, doctrinæ & sapientiæ reliquit argumenta, monumentis etiam hodie variis posteritati comprobata: inter quæ æstimemus non parvi & illud, quo D. Archipræsul ab anno obitus sui 60. restituit subitò vigorem pedi, cui paulò antè Sepulchralis ejusdem B. Archiepiscopi lapis è tumulo levatus, atque in pedem adstantis fortè delapsus, omnem ademerat usum. Non omittendum illud etiam, quo Archipræsul sanum atque incolumem Alboinum Buriburgensem Præsulem brevè moriturum prædixit, & sibimet mortis articulum propinquissimum adesse cognovit an. 787. Caput B. Lul-

B. Lulli Hermannus ad S. Gothardum Ord. D. Benedicti Abbas Collegio Soc. JESU Moguntia inter reliquias sacras servandum donavit, Hildesia translatum an. 1603.

III. RICHOLPHVS.

Richolphi post D. Bonifacium Moguntia Archipræsulis secundi, quamvis natales & acta prima lateant, minimè latent tamen gesta & fata ultima. Regi & demum Imperatori Carolo M. à consiliis constanter, id bene meritis suis impetravit haud difficulter, ut Cæsaris interventu Pontifici placuerit Archiepiscopus, cuius difficile munus ea methodo obist, ut à quo reprehensus sit, non invenias, à quo laudatus fuerit, etiam hodie nullo labore reperias. Ad amissim verò ut fierent omnia à subjectis Richolpho Episcopis & Sacerdotibus, nec deesse passus est monita, nec præcepta Ecclesie Romanæ autoritate præmunita: unde ex Hispania Moguntiam usque transferri curavit Canones Pontificios Isidori Mercatoris operâ eleganti ordine donatos. Quò magis verò constaret omnibus ritè de Ecclesie legibus, an. 813. Moguntia Synodum celebravit, & alteri Synodo Wormatia celebratæ interfuit. Circa eadem tempora DD. Aurei & Justinæ sacras reliquias populo visendas & honorandas proposuit, simulque D. Albani honoribus dicatum templum magnificentissimè extruxit: dein verò quocum consilia vivus conferebat, cum eodem Imperatore mortis sententiam sustinuit an. 814. cum Carolo M. mortuus post annos Sed. 17.

SECULUM IX.

IV. AISTVLPHVS.

Aistulphus B. Lulli discipulus, in qualem quantumque deniq; Magistrum evaserit, multorum loco sit testis Rabanus, fortè etiam Aistulphi discipulus doctissimus, & in Sede Moguntina